



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 4. An imponi debet Pœnitentia publica?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

14. c. 8. Satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novam vitam custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. At opera iam aliunde præcepta nequeunt esse ad vindictam, & castigationem peccatorum præteritorum: nam etiam si nulla peccata commisisset Pœnitens, teneretur illa præstare, nec illis iterum impositis puniri censetur. Idcirco restitutio iniuriæ, & damni compensatio, fuga occasionis peccandi, non sunt Satisfactiones vindicativæ.

Porro Confessor censendus est imposuisse opus non aliunde præceptum, nisi aliud exprimat, vel ex circumstantiis colligi queat: nam hæc est rationabilis ejus intentio. Quare si simpliciter imponat ieiunium, Pœnitens non satisfacit ieiunando uno die, quo ex præcepto Ecclesiæ vel ex voto tenetur.

Q. 4. An imponi debet Pœnitentia publica?

Resp. I. Pro peccatis occultis quantumvis gravibus manifestam Pœnitentiam non imponant: ait Rituale Roman. nam esset improporcionata, & contra usum Ecclesiæ, & quodammodo infamativa Pœnitentis.

Resp. II. Imponenda est Pœnitentia publica pro peccatis publicis, ita Trid. sess. 24. c. 8. Apostolus monet publicè peccantes palàm esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde

unde alios scandalô offensus, commotósque fuisse non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ Pœnitentiam publicè injungi oportet, ut quos exemplô suô ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimoniô ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc Pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire. Nec tunc (inquit S. Thom.) Confessor, sed Pœnitens ipse Satisfactionem implendo, manifestat suum peccatum jam aliàs notum, & inducitur tantum ad id, quod ex se facere debet ad scandalum tollendum. Sinetamen Episcopi consilio, & auctoritate imponi non debet Pœnitentia publica cum certa solemnitate peragenda, ut stando ad fores Ecclesiæ cum cereo accenso, &c. Sed quivis Confessor potest, & debet injungere Satisfactiones, quæ sine solemnitate peragantur coram iis, qui scandalum passi sunt, dum aliter tolli nequit, v. g. ut retractent sermones contra fidem, bonos mores, religionem, vel calumnias coram iis, qui audierunt, &c. Nam scandalum necessariô tolli debet.

Q. 5. An potest injungi satisfactio applicanda aliis, v. g. defunctis?

Resp. Aff. Quia tunc non applicatur aliis satisfactio secundum valorem, quam habet ex opere operato, sed secundum eum, quem habet ex opere operantis. Præterea actus ipse